

**Dissertatio inauguralis medica de encephalitide ... / submittit Carolus Weszelovszky.**

**Contributors**

Weszelovszky, Károly.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Budae : Typis Regiae Universitatis Hungaricae, 1844.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kp6wjbaz>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**BENCEPMALITIDESB**,

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS,  
SPECTABILIS DOMINI DECANI,  
NEC NON  
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM  
DD. PROFESSORUM  
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE,  
PRO  
DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA  
SUMMISQUE  
IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE OBTINENDIS  
IN REGIA SCIENTIARUM  
UNIVERSITATE PESTIENSI  
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT  
*Carolus Peszelovszky,*

HUNGARUS ARVENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis minore  
die 15 Martii 1844.

---

BUDAE,  
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.  
M. DCCC. XL. IV.

Leben für Andere, nicht für sich, das ist das Wesen des Berufs eines Arztes. Nicht allein Ruhe, Vortheile, Bequemlichkeiten und Annehmlichkeiten des Lebens, sondern Gesundheit und Leben selbst, ja, was mehr als dies Alles ist, Ehre und Ruhm, muss er dem höchsten Zwecke, Rettung des Lebens und der Gesundheit Anderer, aufopfern.

HUFELAND.

Der Menschen Leiden zu versüßen,  
Das höchste Glück ganz zu geniessen  
Ein Helfer, Tröster hier zu sein,  
Dies Gott! lass mich bei allen Sorgen,  
Bei Tageslast, an jedem trüben Morgen  
Gerührt empfinden, ganz mich weih'n  
Zu trösten, helfen, zu erfreu'n.

IDEM.

REVERENDISSIMO DOMINO  
**JOSEPHO KUNSZT,**  
ABBATI B. M. V. DE VALLE VESZPRIMIENSI,  
METROPOLITANAEC ECCLESIAE STRIGONIENSIS CANONICO  
ET ARCHI-DIACONO SASVÁRIENSI, COLLEGII PAZMANIANI  
VINDOBONENSIS RECTORI,  
PATRONO SUO GRATIOSO:

ITEM

SPECTABILI DOMINO  
**MARTINO HAMULJÁK,**  
AD EXCELSUM CONSILII REGII LOCUMTENENTIALE  
HUNGARICUM RATIONUM CONSULTORI, UNA PENSIONALIS  
INSTITUTI HUNGARICI ASSESSORI,  
AVUNCULO SUO SINGULARITER COLENDO.

---

## VIRIS

A FIDE ERGA PRINCIPREM, AMORE ERGA PATRIAM,

SCIENTIAS ET HUMANITATEM CLARIS,

in grati animi, cultusque perpetui tesseram tenues has laborum  
literario-medicorum primitias animo devinctissimo

d. d. d.

AUCTOR.

REVERENDISSIME DOMINE ABBAS et CANONICE!

SPECTABILIS DOMINE AVUNCULE!

Ad metam curriculi academici hodierna die  
pertingens, dum coelo favente arenam literariam,  
ad quam me saluberrima malorum corporis humani  
domitrix medicina descendere jussit, laurea re-  
dimitus relinquerem, aequo imo et gaudenti animo  
amplector occasionem Vestra in me profecta benefi-  
cia palam profitendi. Etenim ut saluti publi-  
cae utilis viverem, Vestra paterna sollicitudine, Ve-  
stro benigno auxilio in civem reipublicae evectus sum;  
nil mihi itaque gratius, nil optabilius evenire posse  
existimo, quam exiguo huic conamini meo Vestra  
praefigere Nomina, non ut eo novum Vobis adderem  
deucus, verum ut profundae venerationis testimonium  
perhibere, ac tale grati animi in corde meo Vobis e-

rigere valeam monimentum, quod nulla vicissitudine,  
nulla temporis vetustate, non casu ullo, non fortuna  
diruetur. Suscipe igitur imbecillem hunc laborem me-  
um, et cum eo etsi non pares Vestris, quae in me  
exstant, beneficiis, at pro meo tamen studio meritas,  
debitasque quas refero grates. Vivite felices, Qui me  
felicem reddere studiistis, ac huicdum expertis gra-  
tiis ultro quoque prosequi dignemini

devinctissimum Auctorem.

**Encephalitis Cephalitis** designat inflammationem cerebri, eiusque membranarum; est vero morbus inflammatorius periculosissimus, rarius tamen ac vulgo creditur occurrens. — Antiquitus vocabatur Phrenesis, Phrenitis Paraphrenitis, quod delirium furiosum febre junctum frequens morbi symptoma constituat; idem tamen symptoma in aliis quoque morbis occurrit, quin illum inflammationis vestigium in cerebro detegatur, e contra in cadaveribus saepe manifesta praegressae inflammationis encephali signa observata sunt, quin aegro vivente delirium locum habuisse. Recentioribus temporibus inflammationis limitibus ultra modum extensis, multi status morbosi, in quibus cerebrum cum suis involucris membranaceis irritatum quidem, et non raro sanguine multo ditius est ac normali in statu, encephalitidi adnumerabantur: qui tamen genesi, et complexu symptomatum, non secus ac decursu, et resultatis post institutas cadaverum sectiones essentialiter differunt a vera et genuina inflammatione; ita nonnulli congestiones capitis activas, hydrocephalum acutum, delirium tremens, encephalomalaciam, maniam etc. solum ut diversos encephalitidis gradus considerant, imo et essentiam typhi, epilepsiae, hydrophobiae, pertussis, et aliarum nervosarum affectionum a phlogosi encephali derivare voluere. Ast tam lato sensu encephalitidem sumere cautum esto, nam etsi congestiones capitis, — quae in multis horum morborum, et aliis nonnullis occurtere possunt, vel reipsa constanter adsunt, — in episodicas subinde, et secundarias phlogoses evolvantur: omnes tamen has affectiones, simplici, communi, et genuina illarum forma considerata, inflammationi cerebri adnumere rare vix licet.

Encephalitidis nomine itaque ille solum morbus insigniendus, in quo praeter symptomata activae et continuae congestionis sanguinis ad encephalon, et praeter dolores relative atroces, tam intensae, atque permanentes turbae functionum encephali oriuntur, ut ex illis clare pateat cerebrum cum suis involucris non tantum irritatum, et sanguine ditius esse, sed et sedem pathologico-plastici processus constituere, qui morbus si lethum adferat, in cadaveribus praeter vestigia hyperaemiae, obscurationem arachnoideae, et serosas effusiones, per neoformatum parenchyma et propria inflammationis producta, veram mutationem, incrassationem, et condensationem texturae, lympham plastica vel pus relinquunt. — Huiusmodi encephalitis — adminus ut originarius, idiopathicus morbus — est admodum rara, quamvis eius plures species et varietates dentur.

Encephalitis sub diversis manifestat se formis, pro diversitate partis inflammatae, sedis, extensionis, causae excitantis e. s. p. distinguitur itaque respectu sedis et extensionis in universalem et partiale, in encephalitidem sensu strictiori, seu veram, internam, cerebritidem dictam, et in periphericam seu meningeam, quoad formam in phlegmonosam et erysipelaceam, respectu originis in primariam seu idiopathicam, et secundariam seu sympatheticam vel metastaticam, encephalitidem dynamicam, et mechanicam seu traumaticam, ac tandem relate ad decursum in acutam, et chronicam. In meningitide solae meninges, in cerebritide sola substantia raro inflammatione afficitur, quin potius in priore fere semper superficialia etiam strata substantiae cerebri, prout in posteriore frequenter membranae eius participant de inflammatione; in prima tamen specie phlogosis e meningibus, in secunda vero ex ipso parenchymate cerebri egreditur, illa occupat partes magis periphericas, haec profundum potius petit. Diversitas haec praecipui foci phlogosis, et puncti e quo illa egreditur, ponit modificationem symptomatum, quae ut plurimum sat certam admittit diagnosim; attamen occurunt etiam casus in quibus decidi haud potest cuinam speciei appertinent, in quibus symptomata utriusque speciei pari passu procedunt, et cerebrum cum meningibus simul eodem gradu affectum esse videtur. Meningitis ita se habet ad encephalitidem, ut pleuritis ad pneumoniam, et hepatitis serosa ad parenchymatosam etc.

Quodsi determinatu arduum sit num meninges vel ipsum cerebrum magis affectum sit, certe adhuc difficilius, in plurimis casibus fere impossibile distinguere quae meningum, vel quae pars cerebri, an cerebrum vel cerebellum, hemisphaeria vel partes basi proximae praecipue affectae sint, saepe saepius enim plures, vel et omnes simul inflammatione corripiuntur; quamvis autem conatus recentioris aevi, certa criteria pro distinguenda meningitide, arachnitide et piotide, cerebritide vel cerebellitide, quo distinguenda phlogosi hemisphaeriorum, vel partium pone basin sitarum etc. detegendi, omni effectu non destituantur; in paucis tamen illis casibus, in quibus inflammatio ad quampiam parum partium restringitur, diagnosim certam hactenus minime eddiderunt, falliturque medicus in distinctione hac subtiliori minimum toties, quoties diagnosim sic formatam confirmari expectatur. Ceterum respectu tam prognostico, quam therapeutico non anti est momenti an cerebrum vel cerebellum, arachnoidea vel pia mater magis affecta sit.

Majoris momenti est diversitas a decursu, aetiologicalis momentis, individualitate aegrorum in encephalitide tam peripherica quam parenchymatosa petita, secundum quam formarum principium duarum plures varietates distinguuntur.

Encephalitidis periphericae seu meningitidis symptomata generalia sunt sequentia: dolor capitis intensus lacerans, pulsans, congestiones ad encephalon manifestae, sensibilitas omnium sensuum aucta, deliria furibunda, nonnunquam etiam convulsiones; tardius sopor, pupillae utriusque dilatatio, et plerumque universalis) paralysis.

Encephalitis autem parenchymatosa, vera, cognoscitur e dolore premente obtuso, pulsatorio, in profundo capitis percipiendo, signis exterioribus congestionis relative minus manifestis, et sensibilitate sensuum utplurimum initio statim imminuta; deliria, si adsint, sunt mitiora, moxque transeunt in stuporem et oporem, convulsiones subintrant frequenter; tardius accedit lethargus, sub quo pupillae immutatae manent, et paralysis (saepe partialis).

Ut varietates speciei primae seu meningitidis sequentes formae considerantur:

**1.) Encephalitis peripherica seu meningitis acuta**

Symptomata eius: dolor capitis intensus, scindens, lacerans, d  
cuius praesentia sine intermissione queruntur aegri donec su  
consci sunt, dolor hic omni corporis, animique motu adeo exa  
cerbatur ut aegri non raro exclament, mox subintrat horripilati  
vel horror febrilis, dein calor intensus continuus; facies ru  
bet, turget, caput intense calet, maxime eo loco ubi focus est in  
flammationis, sub incessu titubant, caput erectum servare non  
valent, sed in alterutrum latus reclinant, vel ob vertiginem ne  
valent se erigere, pupilla coarctatur, oculus jam splendet siccus  
jam lachrymans turbatur, quin suffusus esset, de photophobia  
queruntur, hinc frequentissime clausus, objecta non raro flavo  
vel rubro colore tincta apparent, saepe adest photopsia, miode  
psia, visus annulorum diversi coloris, similiumque phantasma  
tum, adest molestus tinnitus aurium, atque minimo strepitu au  
getur inquietudo et dolor capitis, distinguunt sonos sano vix per  
ceptibles, olfactus quoque acuitur, aegri sunt insuper irascibi  
les, lingua in exordio morbi humida tardius exsiccatur, tremula  
porrigitur, in marginibus et apice non raro rubra, adest poly  
dipsia, anorexia, urina mittitur parca laete rubra, ast subinde  
copiosa, pallida, pellucida, urina spastica, alvus semper  
tarda, vel pertinaciter constipa; sub ulteriori decursu subintrat  
delirium violentum, rarissime jucundum ut aeger phantasias ha  
beat sibi gratas, in aliis risum moventes, longe frequentius fu  
riosum ira vehementi junctum, aeger diu noctuque vociferatur,  
blasphemat, cuncta destruere, alias laedere, non raro sibime  
violentas inferre conatur manus, aufugit, per fenestram se prae  
cipitat, in aquam insilit etc. tempore hoc delirii robur muscula  
re augetur tantopere ut a pluribus etiam difficulter coercenti va  
leat, delirium hoc subinde remittit, mox iterum exacerbatur  
raro solum lucida intervalla locum habent, accedunt nonnunquam  
spasticae distorsiones faciei et oculorum, carphologia, subsultus  
tendinum, convulsiones universales raro, frequentius vomitus  
sympathicus, pulsus est acceleratus, jam plenus, liber, jam  
contractus, duriusculus, parvus, saepe inaequalis, vel inter  
mittens, temperatura cutis ut plurimum siccae est multum aucta  
generatim tamen minus in reliquo corpore, ac in capite, cun  
cta haec symptomata mane remittunt, vesperi exacerbantur.  
noctes aegri transigunt sub deliriis ferocibus insomnes. Postquam

symptomata haec uno vel pluribus diebus durassent, morbo in-  
crescente semper, aegri repente vel sensim redduntur quietiores,  
in locum deliriorum subintrat sopor, et tandem coma profundum,  
pupillae dilatantur, et ut reliqui etiam sensus insensiles fiunt  
erga stimulus externos, membra delassantur, atque praeeruntibus  
nonnunquam convulsionibns evadunt paralytica, nullusque am-  
plius clamor valet expurgare aegrum e somno lethali simillimo;  
pulsus est nunc parvus, irregularis, cutis extremitatum friget,  
saepe viscidio sudore madet, lingua fusca sicca, abdomen ten-  
sum, excretiones sunt involuntariae, vel nullae.

2.) **Encephalitis peripherica insolationis, ictus solis**, producitur semper calore, in specie actione radiorum solis in caput, proprius est ei dolor premens, et ardens, praesente vertigine intensa, et manifestis sensuum alienationibus, deliria, fratribunda nominatim rara sunt, sympatheticus e contra vomitus fere constanter occurrit, praemature, saepe post paucas jam horas subintrat sopor cum dilatatione pupillae, et universalis delassatione, facies a sole adusta plerumque profunde rubro vel nigricante colore tincta, lingua muco albicante tecta mox exsiccatur; sitis est intensa, pulsus frequens, parvus, mollis, cutis sicca ardens, alvi et urinae excretio impedita.

3.) **Encephalitis peripherica senilis.** Varietas haec, ut nomen designat, in senibus solum occurrentes, subacute, subinde chronice decurrit; orditum intenso, continuo, lacerante dolore capitis, temperatura cutis frontalis est aucta, oculus injectus, erga lucem sensibilis, auditus vero obtunditur, mox accedit tremor extremitatum, praeprimis superiorum, sub incessu vacillant, titubant, pupilla contrahitur, initio rarius, sensim saepius erronee loquuntur, fiunt oblivious, pueriles, mittuntque alvum et urinam infra se, appetitus plerumque viget, febris saepe vix vestigium detegitur, subinde tamen pulsus tangitur acceleratus, mollis, praeprimis vesperi, sitis et calor cutis augetur; postquam symptomata haec pluribus hebdomadibus, jam pluribus mensibus durassent, aegri evadunt fatui et tandem incident in soporem, e quo non amplius evigilant.

4.) **Encephalitis peripherica chronica**, manifestatur continuo, jam terebrante, jam scindente dolore in certa plaga capitis, frequentius in occipite, vel in vertice quam aliis

partibus, dolor hic p<sup>rae</sup>primis incalescentia corporis, sensuum et animi adstrictione, similibusque exacerbatur, accedit vomitus sympathicus, oculi auris etc. sensibilitas inconsueta, saepe erronee confuse loquuntur, congestiones sunt leviores, febris desideratur successu temporis organa sensuum vel extremitates debilitantur, quodpiam ex illis paresi et paralysi etiam afficitur, facultates intellectuales deficiunt, aegri evadunt hebetes, subinde fatui, ac tandem incidunt in soporem, vel inflammatio chronic<sup>a</sup> evolvitur in acutam, sicque vitae eorum finis imponitur. — Forma haec durat per menses, imo et annos.

Varietates speciei secundae, seu encephalitidis parenchymatosae, secundum acutum vel chronicum eius decursum, duae distinguuntur:

**1.) Encephalitis parenchymatosa acuta**, vix unquam solitaria, sed plerumque meningitidi acutae juncta occurrit, symptomata tunc mixtim utriusque morbi simul observabuntur, sunt autem illa encephalitidis parenchymatosae acutae, si pro se sola evolvatur, sequentia: dolor occipitis obtusus pulsatorius, vertigo, susurrus aurium, oculus suffusus, pupilla contracta, photophobia, objecta cuncta nigra apparent, lingua sicca, spasmodice retracta, digestio prostrata, vomitus, quo subinde morbus inchoat, alvus pertinaciter constipa, signa congestionis externa in genere minus manifesta, mox accedit delirium, raro tamen adeo intensem ut in encephalitide peripherica acuta, jam clamorosum, jam taciturnum, in encephalitide intensissima potest momentanee interrumpi, augetur vero minimo etiam strepitū, vel radīs lucis in aegrum directis, etiamsi visus et auditus minus sensilis sit ac in meningitide, functiones hae tamen mox supprimuntur ita ut aegri nihil sciant quid circa illos contingat. Interdum jam sub primo insultu morbi, subintrant convulsiones validae universales, vel partiales, revertunturque post breviora aut longiora intervalla plerumque forma clonicorum, nonnunquam tonicorum spasmorum, convulsiones hae subinde ad certos restringuntur musculos, e. g. ad illos oculi, linguae, extremitatum, symptomata haec comitatur febris inflammatoria, pulsus tamen iam p<sup>rae</sup>evie tangitur parvus, irregularis, intermittens, cutis est sicca ardens; sicque post 12—24 horas, summum post aliquot dies aegri omni conscientia privantur, in nul-

um amplius reagunt stimulum, artus ope convulsionum prius nobiles evadunt paralytici, respiratio stertorosa, laboriosa, accedit sudor frigidus profusus, viscidus, sopor, oculi sunt semiaperti distorsi, sicque aeger moritur. Notatu dignum, extremitates paralyticas saepe spastice contractas esse, pupillas serius non dilatari ut in meningitide, sed saepe adhuc brevi ante noctem notabiliter coarctari.

2.) **Encephalitis parenchymatosa chronica**, aequum meningitide socia ut plurimum occurrit, vel oritur per ulteriore extensionem meningitidis chronicæ in substantiam cerebri; si originarie pro se evolvatur, e sequentibus cognoscitur symptomatibus: e dolore premente pulsatorio in circumscripta plaga capitis profunde percipiendo, continuo, signa congestionis per intervalla temporis jam leviora, jam graviora observantur, vomitus sympatheticus, convulsiones unilaterales, et quidem in latus dolori opposito, debilitas, successu vero temporis parysis totalis organi visus, auditus, vel cuiuspiam extremitatis, accedit decrementum facultatum intellectualium, hebetudo, fatuitas, sopor tandem mors. Decursus est chronicus, initio absque indicio omni febris, tardius observantur insultus febriles validi, qui cum intermitente confundi possunt, chiae alcaloideis tamen non cedunt, quia signa suppurationis cerebri, initium febris hecticae constituunt.

Encephalitidis formae acutæ confundi possunt cum congestionibus ad caput simplicibus hydrocephalo acuto, typho et delirio tremente, chronicæ vero cum cephalaea gastrica, hysterica, et migraene, fors et cum tuberculosi cerebri, item encephalomalacia; diagnosis tamen adeo difficilis in plurimis casibus non est. Simplex hyperaemia cerebri non stipatur tam intensis doloribus ac encephalitis, sensibilitas organorum nervis cerebralibus provisorum est frequentius morbose imminuta quam aucta, si deliria locum habeant haec raro tam clamorosa ac feroia sunt ut in acuta meningitide, convulsiones, quales in encephalitide vera occurrunt, rarissime solum per congestiones simplices provocantur, omnia symptomata per congestiones producta sunt magis versatilia quam illa inflammationis, febris demum encephalitidem comitari solita characteris est synochalis, non vero in congestionibus. — Hydrocephalus acutus fere semper

puerili occurrit aetate, omnes autem varietates et formae encephalitidis in adultis; stadium eius primum constituunt plerumque symptomata congestionum versatilia cum vomitu sympathico et pertinaci alvi constipatione: dolores capitis, deliria, aut sensum morbose aucta sensibilitas saepe desiderantur, tardius observatur e sopore cum dilatatione pupillae, e pulsus tarditate, sedimento urinae proprio albo, symptomatibus torpidis, et decursu per plures septimanas extenso morbum hunc essentialiter differre ab encephalitide. — Symptomata cephalica in typho subinde absque omnibus objectivis signis congestionis decurrunt, alias vero characterem praeseferunt hyperaemiae saepius passivae quam activae, et si huius posterioris vestigia nominatum in typho petechiali subinde adsint etiam, raro tamen eum attingunt gradum ut symptomatibus verae inflammationis aequiparari possint; praeterea symptomata cephalica sola non constituunt typhum, sed observantur insuper ei propriae in encephalitide nunquam detegendae membranarum mucosarum affectiones, febrilia item symptomata, integer morbus decurrit per determinata stadia et temporis intervalla, quae in encephalitide nunquam occurrint, exitus quoque eius sunt ab illis inflammationis cerebri penitus diversi. — Delirium denique tremens decurrit in plurimis casibus sine, vel cum passivis solum, congestionibus, deliria, signum morbi characteristicum, differunt ab illis encephalitidis monotonia et campo idearum limitato, saepe aegri putant se circumdatos esse animalibus vivis, gliribus, cattis, ideo in continuo sunt motu, donec defatigati concidunt; tremores proprii, validi, sudores profusi colliquativi, pulsus parvus spasticus, raro acceleratus etc. diagnosim morbi in genere facilem reddunt.

Omnium horum morborum, si genuina et simplici forma decurrant, ab encephalitide essentialiter diversorum diagnosis et si facilis sit: negari tamen non potest cephalaeiam, hydrocephalum acutum, et delirium tremens sub certis circumstantiis ad inflammationem cerebri prope accedere, quin imo in eam transire posse, symptomata autem cephalica in typho, regnante phlogistico morborum genio, in veram encephalitidem episodicam evolvi posse, iuxta vulgatas cel. virorum observationes adminus valde probabile est; in huiusmodi casibus diagnosis multis premitur difficultibus, saepe impossibilis est, arctus enim limes inter congesti-

nem et inflammationem, ut in morbis aliorum organorum du-  
vix potest, dantur formae transitui in alias inservientes, me-  
um item tenentes locum; sic encephalitis peripherica insolati-  
nis inter hydrocephalum acutum, et meningitidem medium oc-  
cipat, et encephalitis peripherica senilis delirio trementi chara-  
tere inflammatorio notato est multum affinis.

Encephalitidis chronicae relatio ad formas quibuscum con-  
undi potest eadem est, quae encephalitidis acutae ad affectio-  
nes memoratas capitis. Cephalaea gastrica simplex, dolor nem-  
e capitis obtusus, premens regionis frontalis sine congestioni-  
us, alienationes sensuum e. s. p. in diversis abdominalibus mor-  
is occurrens, Cephalaea hysterica, absque ullo objectivo si-  
no in connubio aliorum hystericorum symptomatum se manife-  
tans, jamque unum latus capitis, jam eius verticem (ut clavus  
ystericus) occupans, manifeste intermittens, ipsa nevralgia ca-  
itis Migraine cum intense pulsantibus, atrocibus doloribus,  
uibus non raro vomitus sympatheticus, diversae sensuum aliena-  
tiones, leves convulsiones etc. semper tamen forma manifesto-  
rum paroxysmorum accedunt, ab encephalite chronica, in qua do-  
res continuos congestionibus junctos, premature permanentes  
turbae organorum sensuum, et systematis nervosi comitan-  
ir, facile distingui possunt. Ast subinde hae quoque affectiones  
encephali cum copioso affluxu sanguinis, omnibusque eius sequelis  
cedunt, quibus diagnosis difficilis redditur, et cephalaea hysterica  
et Migraine potest faventibus adjunctis in meningitidem chro-  
nicam transire. Eadem ratione possunt tubercula cerebri per eo-  
um anamnesim, per decursum magis adhuc chronicum, per  
ymptomata paroxysmis se manifestantia etc. ab encephalite  
chronica, distingui, ast frequenter associatur illis inflammatio-  
ircumvitae substantiae cerebri, et contiguarum meningum, tunc  
ue facile accedit ut symptomata consecutiva pro primariis ha-  
eantur. Idem accidere potest in encephalomalacia, cuius utpo-  
e ab encephalite essentialiter diversae diagnosis quidem faci-  
s est, interdum tamen cum inflammatione, eiusque exitibus com-  
licatur.

Quod **Aetiologiam** encephalitidis concernit, acutae formae  
reuentius in flore aetatis a 20—40 annum quam aliis vitae perio-  
is observantur, sexus masculinus praे sequiori magis dispositus es-

se videtur, tertia solum varietas primae speciei, ut nomen designat, in senibus semper occurrit; mensibus aestivis non tantum ictus solis, sed omnes acutae formae facilius ac reliquis anni temporibus oriri videntur. — Causae excitantes sequentes praeprimis adferri merentur:

a.) Violentiae mechanicae, subinde in neonatis per compressionem violentam sub partu difficiili, per vectis, aut forcipis rudiorem applicationem encephalitis excitatur ita, ut infantes post partum uno alterove die soporosi jaceant, donec inter convulsiones extinguantur, ita dum caput pueri vel adulti verberatur, contunditur, vulneratur, non tantum integumenta laeduntur, ossa crani deprimuntur, franguntur, sed laesio extenditur etiam in meninges ac substantiam cerebri, subinde infans vel adultus ex alto decidit in corpus durum etc. violentia huiusmodi in caput directa sive cum solutione continui incedat, sive non, tam acutas quam chronicas inflammations meningum vel substantiae cerebri provocare potest, contingitque potentiam mechanicam in individuum quoddam ante menses et annos egisse, aeger autem evoluto solum hoc tempore symptomatibus gravioribus caput extollentibus cogitur opem medicam quaerere.

b.) Adstrictiones encephali intensae per labores mentales, animi pathemata vehementia hominem saepius exigitantia, imprimis ira, intensi sensuum stimuli, vigiliae diu protractae, etc. — Hac ratione cumprimis encephalitis parenchymatosa acuta evolvitur.

c.) Actio diurna excessivi caloris caput nimis ferientis, jam artificialis, jam (praeprimis) solaris in regionibus tropicis, sed et apud nos aestate fervida in messoribus, (praesertim e regionibus montosis in planas desendentibus) vinearum cultoribus, in militibus, si tempore calidissimo cogantur itinera facere, imprimis capite galea metallica obtecto, si sub coelo libero dormientium, praecipue ebriorum caput solis ardentis radiis longiore tempore expositum sit, varietas secunda meningitidis oritur, et quidem frequentius in subjectis capillis fuscis praeditis. In provinciis quibusdam fervidis e. g. in Aegypto encephalitis insolationis est fere endemica.

d.) Abusus potulentorum spirituosorum similiunque stimulantium; per potentias huiusmodi nocentes tertia praeprimis

varietas primae speciei producitur, quamvis etiam menigitis communis, vel encephalitis acuta vera hac ratione interdum oriatur.

e.) Metastases. Profluvia habitualia imprimis cruenta suppressa, morbi alii diversi haud judicati subito disparentes, ut erysipelas, faciei in specie, morbilli, variolae, scarlatina tinea, rheumatismus, arthritis morbi cutanei chronicus, capitis et faciei praesertim, plumbi praeparatis incongrue tractati, e cute et exterioribus partibus subito evanidi, etc. inflammationem encephali metastatice provocare possunt. In genere, adminus primarie meninges afficiuntur, metastatica itaque encephalitis est communiter peripherica, an haec acuta vel chronica evolvatur dependet partim a forma morbi retropulsi, partim a celeritate qua e sede originaria disparet. Fuchs adfert duos casus in quibus phlyctenae in labiis oris criticae in pneumonia sic dicta biliosa evolvebantur, ad ardorem earum nimium imminuendum adhibuerunt aegri somenta et lotiones frigidas, estque evoluta menigitis post 24 — 36 horas lethalis.

f.) Inflammatio organorum cerebro vicinorum. Inflammatio sinus frontalium, otitis, ophtalmitis, etc. cerebro eiusque membranis facile communicari possunt. Otitis interna chronica dyscrasica praecipue, quae in suppurationem abivit, ubi pars petrosa carie affecta est, meningitidem, vel encephalitidem parenchymatosam chronicam frequenter producere solet, vixque aia quam hac ratione formae hae tam saepe oriuntur, per similem extensionem, et communicationem inflammationis explicari potest quomodo encephalitis chronica, eiusque exitus, abscessus cerebri, concretiones e. s. p. laesionibus vasorum majorum apitis, et colli se associet.

g.) Alii morbi cerebri eiusque membranarum facile saepe hlogosim provocant vel complicantur cum illa. In omni affectioe, — sive constanter, sive solum interdum — intensis capitis convectionibus juncta, potest faventibus adjunctis, regnante genio horborum inflammatorio, in juvenibus fortis constitutionis individuis, si nova adhuc incitamenta in cerebrum influant, e convectione inflammatio evolvi, hinc non solum in quibusdam hydrocephali, delirii trementis, e. s. p. casibus, sed sibiinde in elementibus neuralgiis migraene dictis, in decursu nonnullo-

rum mentis morborum, in connubio complurium acutorum exanthematum, in typhis e. s. p. videre est certa signa verae meningitidis, et encephalitidis acutae, observanturque casus ubi dubium exoritur an hydrocephalus etc. vel encephalitis adsit. Quemadmodum autem praesentibus congestionibus stimulus cerebri universalis inflammationem acutam per totum encephalon extensam, ita praesente dispositione localis continuus stimulus morbosus limitatam, et chronicam phlogosim producere valet, frequenterque observatur in foeminis antea longo tempore clavo hysterico affectis, accendentibus praesertim menstruorum turbis, chronicam meningitidem iuxta longitudinem suturae sagittalis evolvi. Frequentius adhuc evolvitur eiusmodi inflammatio in circumferentia extravasati apoplectici, tuberculosorum vel scirhisorum tumorum, et simili depositionum in cerebro; hac ratione encephalitis tam peripherica, quam parenchymatosa origine potest.

Ex enumeratis formis patet dari acute et chronice decurrentes encephalitides; duae priores varietates encephalitidis periphericae, et parenchymatosa acuta subinde intra **24—48** horas lethali terminantur exitu, atque decursum intra primos communiter septem dies absolvunt, referunturque ad inflammaciones acutissimas; meningitis vero senilis durat per septimanas subinde et menses, multo lentius adhuc decurrit varietas chronicā utriusque speciei, quae non raro symptomatibus in exordio levioribus diu durantibus, post plures solum annos lethum infert.

Omnes encephalitidis formae ut reliquae inflammations diversos possunt nancisci exitus, horum desideratissimus est resolutio, quae saepe saepius succedit si morbi diagnosis recte construatur, therapia congrua tempestive adhibetur, ni vita organica phlogosim produixerint, aut sustentaverint; aeger quietior, sui conscientia redditur, caput liberum evadit, deliria intensitate decrescent, calor et febris imminuitur, sicque in acutis varietatibus redit sanitas sub manifestis crisibus, saepe observatur epistaxis, subinde haemorrhagia auris, vaginae, intestini recti, urina sedimento albo, rarius lateritio, rarissime cruento instructa, alvus mollior, aegri incidunt in somnum refocillantem, mox sequitur sudor universalis, vel partialis in capite

allevians, subinde ex abscessu cerebri in partibus exterioribus formati rupto pus exitu felici per aurim, vel orbitam evacuantur, quod tamen ad rarissimos refertur casus. In chronicis autem formis crises manifestae desiderantur, ad summum lyses contingunt, symptomataque sensim et sensim solum decrescent; in his praecipue regressus sub emendatione, et verae recidivae sunt frequentes.

Ast etiamsi aegri encephalitide affecti mortem effugiant, perfectam tamen integritatem omnium per hunc morbum turbaturum functionum non semper recuperant; sed morbis diversis et doloribus posthumis saepe per totam vitam affliguntur post formas tam acutas, quam chronicas; laesiones externorum sensuum, labefactatio memoriae, imbecillitas mentis, subinde vescania, capillorum defluvium, paralyses, spasmi, sunt frequen-tissimae encephalitidis sequelae, phlogosis tunc tales mutationes relinquit in cerebro, ut vita superstite quidem, functiones tamen certorum organorum nunquam restituti valeant.

Metaschematismus sub decursu encephalitidis tunc solum oritur, si haec ex alio morbo, metastatice praeprimis evoluta est, ita e. g. observatur retropulsum erysipelas faciei, podagra, et alia redire, caputque liberum reddi.

Frequenter autem omnes formae encephalitidis terminantur morte; exitus hic subintrat in formis acutis, nominatim in parenchymatosa, nonnunquam praemature et subito, vel apoplectice ex orto extravasato, vel sub vehementibus convulsionibus, frequenter moriuntur aegri soporosi. Chronicae formae enecant subinde aegrum quod in acutam encephalitidem evolvantur, sed communiter in iis quoque exspirant aegri sub lethargo sensim subintrante, quin symptomata phlogosis acutae, febris et similia adfuisserent. Encephalitis parenchymatosa chronica post actionem praeprimis mechanicam, vel per ulteriorem extensionem otitidis in encephalon orta, facile in suppurationem, et mediante hac in mortem abit; dolor tunc evadit pulsatorius, aegerque corripitur horroribus febrilibus cum subsequuo calore, et sudore, qui non raro pro veris paroxysinis febris intermittentis habentur, ast observatio aegri exactior, anamnesis, praesentia non raro convulsiva, vel paralytica symptomata, tempus febris subingredientis, horis nempe fere semper vespertinis, congestiones ad

encephalon intensae sub stadio caloris febrilis, sudor primo in facie prorumpens viscidus, summa post insultum virium exhaustio, typus paroxysmorum ut plurimum erraticus, anticipans, et chininum absque omni effectu porrectum brevi nos edocent de praesentia febris hecticae. Febris intermittens mox transit in remittentem, paralysis cuiuspiam organi sensus, vel alterius partis corporis augetur, temulentia increscens transit in perfectum soporem, et aeger succumbit; subinde aegri tales moriuntur etiam subito apoplectice, vel inter vehementes cito lethales spasmos, quod abscessus cerebri, ut id sectiones anatomico-pathologicae evincunt, ruptus contentum pus in cava cerebri effundat. Sphacelismus cerebri, jam a Hippocrate adnotatus, se re exclusive in encephalite traumatica occurrit, rarissime observatur hic exitus; antequam enim talis degeneratio evolvi potest, aeger apoplectice extinguitur.

**Prognosis** in omni encephalite est dubia, comprehendit enim inflammatio partem totius corporis nobilissimam, et ob dispositionem aegri peculiarem subinde haud cognoscenda, sub symptomatibus etiam minus gravibus citissime contingunt exitus inflammationis periculosissimi arte raro tollendi, ceterum inflammationem substantiae, meningitide periculosiorem, et acutas formas vitae infensiores esse chronicis, suapte patet. Encephalitis per insolationem producta majori stipatur periculo ac varietas acuta communis, encephalitis autem senilis fere semper est lethalis. Si in locum deliriorum jam sopor, loco convulsorum jam paralysis subintravit, si visus in specie organon paralytice afficiatur, prognosis redditur infausta. — In chronicis formis aetiologya est magni momenti in prognosi statuenda, et enim traumatica encephalitis faustiorem admittit prognosim, quam quae ex ototide in connubio cum carie ossis petrosi, in circumferentia tuberculosorum, vel scirrhosorum tumorum cerebri, et simili modo evolvitur; quo maturius imploratur consilium artis periti, morbusque cognoscitur, eo maior spes restituendae sanitatis; emendationi tamen non multum fidendum, et aegri post disparitionem omnium etiam symptomatum, aliquo adhuc tempore observandi sunt, morbus hic enim non raro regreditur, et subsistit, brevique dein celeriter increscit. Quo plurimum et nobiliorum organorum functiones turbantur, eo magis est inflammatio in encephalo extensa, eoque nobilores eius par-

tes affectae; quo proprius autem turbae functionum ad plenariam earum abolitionem, ad paralysim accedunt, eo altius est jam phlogosis evoluta, structura et textura magis mutata, eoque minor spes sanationis.

In cadaveribus ex encephalitide mortuorum tam meninges, quam et substantia cerebri reperitur mutata, eo cum discrimine, quod in encephalitide peripherica preeprimis meninges, cerebri vero superficialia solum strata affecta existant, in his posterioribus frequentius hyperaemia quam vera inflammatio detegitur, in encephalitide autem parenchymatosa interiora, profundius sita strata medullaria, indubia verae phlogosis exhibent vestigia, meninges autem minus mutantur, saepe sanguine quidpiam solum ditiores, non vere inflammatae existunt. Ceterum dantur, ut dictum est, casus in quibus phlogosis fere eodem gradu per meninges et substantiam extensa est, nec determinari potest an cerebrum vel ejus involucra primitive, quodve ex his preecipue affectum fuerit. In acutis formis extenduntur mutationes morbosae communiter plus minus per totam peripheriam, in parenchymatosa per integrum massam cerebri, in chronicis e contra in certa plus minus circumscripta plaga meningum, et majoris vel minoris extensionis substantiae limitatae existunt. Sinus durae matris sunt communiter coagulato sanguine pleni, subinde tenent pus, et si, nominatim in encephalitide peripherica senili, dura mater preecipue inflammata exstitit, haec notabiliter incrassatur, eiusve interna facies aequabili profunde rubro colore tingitur. Arachnoidea in loco inflammationis preegressae crassior ac normali in statu, saepe vasorum copiosas diramificationes exhibens, opaca alba, email subinde lactis adinstar, vel flavicans conspicitur. Vasa piae matris sanguine turgent, et membrana haec obducit interdum cerebrum aequabili scarlatino rubore, in quo vasa subtilia armato solum oculo distingui possunt. Inter membranas inveniuntur fere semper producta inflammationis, alba vel flavicantia strata lymphae plasticae diversae crassitie, saepe plurium linearum, vel pus, producta haec jam supra, jam infra arachnoideam sita sunt, posterius preeprimis in meningitide senili locum habet, et extenduntur in acutis inflammationibus subinde per totam superficiem cerebri, cum in chronicis ad certa minora loca restringantur, in quibus tamen mem-

branae inter se, et cum cerebro tam arcte nectuntur, ut in unam eandemque abire videantur massam. Frequenter, speciatim in encephalitide insolationis, praeter exsudatum lymphae plasticae, vel pus, reperitur exsudatum serosum sub arachnoidea, per quod meninx haec a pia matre soluta, forma applanatarum vesicularum elevatur, saepe tunc arachnoidea aqua infiltrata appetet, (oedema arachnoideae) fluidum infra eam situm communiter est turbidiusculum, spissum, et gelatinosum. In meningitide senili reperiuntur in arachnoidea praeter coagulationes lymphaticas non raro plus minus notabilia extravasata sanguinis. Producta haec pathologica non sunt in directa semper ratione ad ruborem inflammatorum, sed hic (in premature lethali exitu) est saepe intensus, lympha autem, pus, vel serum exigua adest quantitate, cum in aliis (non tam cito lethalibus) casibus notabiles depositiones occurrant, rubor e contra fere penitus evanescit. — Substantia cerebri inflammata in primis stadiis est densior et solidior ac normalis, intense rubet, (corticalis magis griseo-rubra, in coeruleum et bruneum vergens, medullaris rosea) volumine augetur ita, ut gyri inflammati prae certis promineant. Phlogosi e contra longiori jam tempore locum habente, substantia cerebri pure infiltratur, flavicans fit, est que potius granulosa quam fibrosa, statu hoc praesente reperiuntur non raro in partibus infiltratis, vel in vicinia extravasata sanguinea raro tamen notabilia, plurimum sic dicta apoplexia capillaris Cruveilheiri. Abscessus cerebri in acuta parenchymatosa encephalitide raro occurunt, frequentius vero in chronica, variant inter magnitudinem fabae et amygdalae, usque illam ovi gallinacei, circumdantur subinde massa cerebri compacta, alias molli vasis copiosis praedita pseudomembrana, continentque pus spissum flavum, virescens, vel bruneum, meninges contiguae sunt communiter incrassatae, rubrae et concretae; non raro abscessus rupti contentum suum exteriora versus inter membranas cerebri, vel introrsum in ventriculos evacuarunt. Saepe ut origo et focus e quo circumscriptae hujusmodi inflammations et suppurationes promanant, reperiuntur corpora peregrina, tubercula, scirrhi et similia. In cavis cerebri adest in omnibus encephalitidis casibus, nominatim acutae, plus fluidi quam communiter, quod jam clarum, jam turbidum, jam vere purulentum est, in casu postremo arachnoidea, et

pia mater ventriculorum manifesta plerumque exhibent phlogosis vestigia, raro tamen fluidum hoc tanta accumulatur quantitate ut, sicut in hydrocephalo, ventriculos dilataret, commissurae, septum pellucidum etc. quae in extravasato cerebri seroso plerumque emollita sunt, in encephalitide normalis sunt communiter consistentiae.

**Therapia** diversarum encephalitidis formarum variat, minus quidem respectu affectarum partium, meningum utpote vel cerebri, quam potius respectu decursus acuti, vel chronici, et differentium causarum morbi.

Indicatio prima, causalis nempe raro potest statim adimpleri, partim ob causas excitantes non amplius praesentes, partim quod cito removeri non possint, indicationi autem morbi in omnibus descriptis formis satisfacit methodus antiphlogistica strictissima, evacuatio scilicet sanguinis universalis et topica, applicatio frigoris forma fomentorum, vel perfusionum aqua frigida, caute tamen instituenda, nam si ante evacuationem sanguinis adhibeatur, reactio facile tantopere intenditur, ut spongi non possit, si vero tarde instituta fuerit, aeger collabitur non amplius salvandus, adhibentur porro purgantia antiphlogistica, et epispastica; ast remedia haec celerius majorique dosi in acuta quam in encephalitide chronica in usum vocanda, summique momenti est pro delectu antiphlogisticorum, et aliis modificationibus curae scire, an encephalitidem per mechanicas laesiones, insolationem, metastasim, vel per abusum spirituosorum e s. p. ortam tractandam habeamus.

In prima varietate utriusque speciei vita aegri pendet ab intensitate, et celeritate qua methodus antiphlogistica adhibetur; exordium tractaminis fit venaesectione 12 — 20 unciarum, symptomatum periculum minantium celeri decremento non conspicuo, post paucas horas repetenda. Proposita a nonnullis arteriotomia temporalis venaesectioni praeferri vix meretur, cum frequenter non fundat sanguinis desideratam quantitatem, et subinde inamoenas post se trahat sequelas, incisio autem venae jugularis raro suscipi potest ob inquietudinem aegri, et haemorrhagiae periculum, item quod diligatio ejus apoplexiā inducere valeat ob impeditum refluxum sanguinis. Eodem simul

tempore regionibus temporum, et processibus mastoideis apponuntur sufficienti numero hirudines, (20 — 30) sanguinis fluxus sustentetur per unam alteramve horam; praeter sanguinis evacuationem summae efficaciae est frigoris applicatio forma fomentorum, capillis densis praevie abscissis vel abrasis, quoc tamen in sexu imprimis sequiori sine necessitate haud suscipimus, aquam frigidam ope spongiae concavae, vel linteaminis applicamus cranio, et omni decimo minuto renovamus, hic applicationis modus praeferri meretur ei, ubi vesica nives aut glaciem contusam tenens capiti imponitur, partim quod ob pondus aegro molesta sit; partim quod minorem plagam crani contingat, sicque caput minus refrigerat, hyeme additis nivibus aut glacie aquae frigus intendi potest, secus autem fomenta Schmuckeri solutione salis communis, salis ammoniaci, et nitri in aqua et aceto constantia eundem praestant effectum, applicatio haec frigoris tamdiu continuatur, donec aegri quietiores reddantur, ob frigus illis molestum ingratum ipsi petant fomenta seponi, vel donec somnus tranquillus refocillans, aut alia critica symptomata, uti epistaxis, partialis vel universalis sudor subintrent, quae usum ulteriorem frigoris interdicunt. Virtutem remediorum laudatorum exaltant decoctum hordei, vel emulsio amygdalarum dulcium tenuis cum nitro, purgantia mitiora antiphlogistica, pulpa tamarindorum, tremor tartari, arcanum duplicatum, sal amarus, sal mirabilis Glauberi, tartarus emeticus dosi refracta, elixirium item acidum Halleri, acidum phosphoricum exigua quantitate, spiritus salis acidus, in decocto emolliente, imprimis autem calomela, 2 — 3 gr, pro dosi, donec plures alvi evacuationes sequantur, clysmata cum aceto, magnesia sulphurica, vel tartaro stibiato, et rubefacientia ad surras, plantasque pedum. Taliter periculo minante averso potest dein indicatio causalis adimpleri, post laesiones nempe mechanicas frusta ossium, vel peregrina corpora iuxta principia Chirurgiae removentur, processus morbosi evanidi encephalitidem producentes remediis congruis revocantur in locum originarium, menstruorum suppressorum per attrahentia fluxus restituitur etc.

Simili modo secunda quoque varietas primae speciei tractanda est, in hac tamen forma ad hydrocephalum acutum prope accidente, copiosae venaesectiones exsudatum magis promovent quam impediunt, saepe universalis nec est necessaria, sufficit

topica sanguinis evacuatio, et fere semper venaesectione 10—12 unc. morbi vis infringitur; frigus hic adhuc efficacius est ac in communi encephalitide, et non solum forma fomentorum, sed et perfusionum. In perfusionibus status cutis investigandus, si caput intense caleat, reliqua etiam cute sicca ardente existente, tunc cautelis necessariis observatis aeger in cadum siccum locatur, et deraso capiti eius aqua frigida pluribus urnis per 3—5 minuta rivo continuo tenui superfunditur, calore minus sicco, cuti madente, aeger cado usque medium aqua calida (24—26 R.) repleto imponitur, sicque perfusio instituitur, dein bene siccatus in lectum fertur, cranium autem fomentis glacialibus obtegitur, perfusiones hae bis terve de die repetendae, interne remedia contra encephalitidem in genere proposita ordinantur.

In senili quoque meningitide ob constitutionem debilem phlebotomus raro et summa cum cautela in usum vocatur, in levioribus casibus et initio post applicationem hirudinum retro aures, cucurbitarum in cervice cruentarum, fomentorum frigidorum etc. magnae efficaciae sunt vesicantia inter scapulas, parvae doses digitalis cum calomela. Graviores huius varietatis casus plene evoluti sunt fere semper lethales, seu methodus antiphlogistica strictior, seu mitior, derivativa, vel in subsequis stadiis stimulans adhibeatur.

In tractamine omnium harum formarum regimen vitae stricte antiphlogisticum observandum, victus tenuis, potus refrigerans indifferens, aqua, limonada exhibenda, aegrum collocamus in lectum non plumaceis culcitis, verum stragulis pilis equinis aut solo stramine provisum, eumque damus situm, ut caput magis erectum sit, temperaturam externam procuramus frigidiusculam, irritamenta sensuum externorum majora, odora menta, lucem nimiam, strepitum majorem arcemus ab aegro, locum commendamus tenebricosum tranquillum, subinde in urbis populosis platea lapidibus strata obtegitur stramine, dissuademus cibos aromaticos, potus spirituosos, sollicite evitari debent omnia quae animi affectum, imprimis iram, in quam aegri propendent, provocare possent, ideo aegrum etiam tempore delirii summa mansuetudine tractamus, subinde quidem parabolaniis haud sufficientibus, ne sibi et aliis laesionem inferat, cogimur illum ligare, loramenta tunc applicentur caute, ne constrictio sit nimia.

Crises subintrantes fovendae, vel necessitate exigente promovendae summa tamen cum attentione, minime stimulantibus fortioribus, ita epistaxis non sternutatoriis, et vaporibus acribus, sed hirudinibus ad narium septum adplicitis, sudores critici non diaphoreticis veri nominis, sed potibus simplicibus calidis, epispasticis etc. alvus calomela salibus mediis, secretio renum liquore kali acetici, digitali et similibus promovenda. In ipsa etiam convalescentia aegri ab omnibus irritantibus vel aliis noxiis influxibus arcendi, cautumque esto vires exhaustas methodo tonica, aut nutriente stimulante victu mature restituere velle, recidivae enim encephalitidis non sunt inconsuetae, tale autem tractamen iis solum favere potest.

Si in acutis encephalitidis formis pseudocrises, exsudatum vel suppuratio e. s. p. se manifestent, de vita aegrorum fere semper actum est, pauci tamen illi casus qui paralysi sopore etc. praesentibus tristem exitum praedicere videbantur, in sanitatem, eo non obstante abierte, sufficienter nos monent tunc quoque continuationem antiphlogisticorum et derivantium, incitamentis, et nervinis praeferendam esse, ast ideo malacia deuteropathica minante, sub vehementibus convulsionibus, moschi, arnicae et similium, aliorumque tam per symptomata singularia, quam per indicationem euthanasiae desideratorum remediorum usus vitandus non est.

Therapia encephalitidis periphericae et parenchymatosae chronicae in quibusdam differt ab ea acutae, sanguinis quidem evacuatio hic quoque indicata minus tamen universalis, potius topica, saepius repetenda, pro fomentis frigidis, dum in specie post mechanicas actiones, vel ex otide ortum ducunt, pro derivantibus, alvum promoventibus, cutim irritantibus, in his ut et acutis varietatibus indicatio adest, calomelae tamen, usu protracto salivationem producenti facile, sales medii, in casu necessitatis etiam senna jalappa et similia praeferenda, loco sinapismorum vesicantia, mezereum, fonticuli applicandi. — Ast omnia haec remedia saepe scopo non sufficienter respondent, symptomata solum mitigata brevi recrudescunt, tunc unguentum et emplastrum antimoniale, setaceum, moxa, ferrum, candens in usum trahenda sunt.

Symptomatibus suppurationis vel exsudati se manifestantibus generatim parum in commodum aegri institui potest, continuato tamen antiphlogistico tractamine conamur inflammationem non peripheria abscessus etc. adhuc praesentem refroenare, teneisque potest num externe artificialiter productae suppurationes remendationem non inducant.

Paralyses, similesque functionum turbae post encephalitidem chronicam residuae indicant quidem directam incitamentorum applicationem, ast properandum cum iis non est, nam seus morbus vix evanidus suscitari facile potest, insigni vero effectu ab his remedii desiderato alioquin non coronantur.

### T H E S S.

1. Hungaria aquis medicatis ditissima exoticis non eget.
2. Libri populares medici plus noxae, quam utilitatis adferunt.
3. Vulgaris pharmacorum in foris et mercatorum fornicibus venditatio, prout scientiae medicae noxia ita sanitati civium deleteria.
4. Lac nutricis, lacti materno perfecte substitui nequit.
5. Non aetas, sed judicium facit medicum.
6. E solo faciei aspectu multas totius organismi affectiones cognoscet medicus.
7. Signa physicalia auscultationis nempe et percussionis diagnosim morborum cavi thoracis multum adiuvant.
8. Anceps remedium melius quam nullum.
9. Morbum sanabo, nomen nescio. Sydenham.
10. Dantur morbi salubres.

etiam regimur ex itaburo byzantinorum quae sicut teologorum  
et historiorum instituti regis universitorum si minus universorum et  
magistrorum publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum mentes et  
opus, utrumque universitatem collat, ut etiam de civitate et  
ecclesiasticae entitatis quid sit in civitate etiam de

affectione et deo et sanctis munere et exercitu et regimur  
etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum  
mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-  
tatis.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.

Etiam de universitate publicorum et metropolitorum ecclesiasticorum

mentes et opus, ut etiam de civitate etiam de ecclesiasticae enti-

tas.